lucro, ne veniva in conseguenza il maggior, o minor prezzo, onde non vi si potendo stabilire prezzo commune, fu preso espediente di restituire il prezzo pagato da ciascuno) *non può quest'osservanza pregiudicare al giusto prezzo, che correva nel tempo della sopressione, dovuto a nostri già Officiali, come nelle informazioni si è dimostrato.*

ROMANA PRETII SECRETARIATUUM APOSTOLICORUM.

TERTIA JURIS.

SUMMARIUM.

1 *Bulla Beati Pii Quinti, nisi intelligeretur de restitutione integri pretii per quoscumque Secretarios soluti, evaderet frustatoria.*
2 *Fuisset restitui pretium, unà cum damnis & interesse, si revocaretur datio in solutum facta Collegio de primo officio vacaturo.*
3 *Damna, & interesse restringi non possunt ad fructus census per Secretarios imponendi, pro eadem summa si vellent, sed ad majus pretium refignantibus exbursatum.*
4 *Verba*, una cum damnis, & interesse *comprehendunt omnia damna, & interesse undequaque provenientia.*
5 *Princeps non potest subdito auferre rem propriam, nisi refuso pretio.*
6 *Observantia aliarum Provinciarum non attenditur, quoties viget individua, & præcisa observantia in proprio Principatu.*
7 *Ultimus flatus est inspiciendus.*
8 *Fiscus ultra simplum tenetur ad damna, & interesse.*
9 *Limitatur si Fiscus procedat uti Princeps.*
10 *Larr. alleg. 18. à n. 16. qui firmat hanc limitationem, in quibus terminis procedat.*
11 *In suppressione hujusmodi officiorum Sanctissimus usus fuit potestate ordinaria, non absoluta.*

R. P. ITerum constanter dicimus, quod etiam secluſa Bulla Piana, semper Camera fuisset obligata in casu suppressionis persolvere Secretariis integrum pretium, etiam excedens scut. 62400. recepta per Innocentium Octavum, dum supponimus, ipsam Cameram recepisse dictum majus pretium, & hæc præsuppoſito, uti patens lumine naturali fruſtra exadverſo repetitur, quod opus habuerit declaratione Bullæ B. Pii Quinti.

1 Bulla igitur Piana (in qua Summus Pontifex profitetur velle augere privilegia Secretarii, ordinando Collegium supprimi non posse, nisi prius restitutis integrè, & sine diminutione pecuniis singulis Secretariis, de tempore suppressionis viventibus, pro quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit) ne sit fruſtatoria, perneceſſe debet intelligi de restitutione integri pretii, quod quisque Secretarius de tempore suppressionis vivens, docebit se exbursasse pro emptione, aut acquisitione officii, aut Datariæ, aut resignantibus, maximè quia ita cogit subjecta materia, dum major pars Secretariorum semper possedit officia per viam resignationum, aliàs Beatus Pius nullum dediſſet privilegium, ut de se patet.

2 Sed cur quærimus argumenta, quando ultra supra relata verba satis aperta, ex viſceribus Bullæ iſta veritas clariſſimè eluceſcit, etenim, ut diximus, Beatus Pius dedit in ſolutum Secretariis primum ex dictis officiis, vacaturum per deceſſum pro scutis 5500. cum facultate illud vendendi pro pretio tunc reperibili, etiamſi dictam ſummam in magna quantitate excederet, & ſi ſuper hoc Collegium moleſtatur, juſſit Cameram ad reſtitutionem non ſolùm dictæ ſummæ, ſed etiam damnorum, & intereſſe paſſorum teneri, & ſic etiam ad illud majus pretium. Imò dum in tempore ſuppreſſionis poterat adeſſe iſte emptor officii, qui illud à Collegio pro dicta majori ſumma emiſſet, jam non poteſt negari, quod illi Papa ex ſupradicta diſpoſitione voluerit reſtitui dictum majus pretium, Dataríæ minimè ſolutum.

Nec evitatur fortiſſimum hoc motivum ex ponderatione exadverſo facta, quod nimirum Papa dederit licentiam Secretariis accipiendi ad cenſum dictam ſummam ſcut. 5500. & ſic promiſsio reſtituendi damna referenda ſit ad fructus cenſus, per Secretarios ſolvendos, non autem ad augmentum pretii, quia hæc interpretatio deſumitur ex ipſo contextu Bullæ, qui exadverſo confunditur, adver-

tendo, quod Beatus Pius prius dedit in ſolutum Collegio dictum officium, cum facultate etiam pro majori ſumma illud vendendi, adjectis clauſulis, quod nullo modo deſuper moleſtaretur, aliàs Camera tenerentur ad reſtitutionem ſcutor. 5500. cum damnis, & intereſſe paſſis, ut in Motu proprio littera B.

Poſteà verò per orationem ſeparatim ibi: *Præterea iiſdem, ut commodius pecunias dicto Cardinali reſtituendas &c. reperire valeant, ſummam prædictam &c. ad cenſum accipiendi licentiam concedimus &c.* Igitur patet, quod præcedens diſpoſitio promiſſionis damnorum, & intereſſe non poteſt referri ad fructus cenſus, de quo Papa adhuc non fuerat loquutus, ſed ad majus pretium, quod Collegium fuiſset recepturum & reſpectivè emptor officii Collegio exburſaſſet.

Ultrà quod dicta verba *unà cum damnis, & intereſſe paſſis*, cùm ſint generalia, comprehendunt omnia damna, & intereſſe, quæ Collegium potuiſset ſubire, ſive reſpectu fructuum cenſus, ut eſt notorium. 4

Argumenta exadverſo denuò inculcata, quod Camera non debeat ſubire hanc pretii reſtitutionem, quaſi ſit pœna, quæ abſque culpa, & dolo non infligitur, nullius ſunt relevantiæ, dum nos petimus noſtrum pretium vigore claræ Bullæ Beati Pii, qui jutiit officia ſupprimi non poſſe, niſi reſtituto dicto integro pretio, quod quiſque Secretarius vivens in acquiſitione officii expendiſſe conſtituerit, quod videtur omni juſtitiæ, & æquitati congruere, cum Princeps non poſsit ſubdito tollere rem, ut officium proprium niſi ei refundat pretium talis officii, ut ſemper Pontifices prædeceſsores practicarunt, adeòut in tot ſæculis nullum poſsit per Cameram dari exemplum contrarium. 5

Attenta præſertim publica bona fide, ſecundum quam iſta officia empta fuerunt ab incertis reſignantibus, ipſo Papa approbante, & expeditionem, ſeu Bullam in favorem Officialium ſignante, & optimè ſciente, quod pretium ſolvebatur reſignantibus, unde nullatenus docet, quod poſtea iſti Officiales remaneant decepti, & ſpoliati officiis, de pretio ſub novo, & nunquam audito, aut imaginario prætextu, quod ab initio, & ante ſæcula Dataria, vel non receperit tantum pretium, vel officia fuerint à predeceſſoribus Pontificibus donata, cui abſurdo nihil ſolidi exadverſo reſponderur. 6

Exempla Regis Chriſtianiſſimi, & aliud Reginæ Catholicæ, de novo in reſponſionibus adducta, non faciunt ad rem, quando habemus præciſam, & individuam obſervantiam Sedis Apoſtolicæ in his ſuppreſsionibus, reſtituendi ad minus pretium ab Officialibus ſolutum vel Dataríæ, vel reſignantibus, & mirificè confert ultimus ſtatus ſuppreſsionis factæ à ſanctæ mem. Clemente X. de Notariatibus Cameræ, in qua juſsit reſtitui integrum pretium ab unoquoque ſolutum, ad tollenda æquivoca, forſan exorta ex verbis procedentium ſuppreſsionum. 7

Exageratæ concluſioni, quod Fiſcus non teneatur, niſi ad ſimplum, fuit data congrua, adæquata, & cathegorica reſponſio cum doctrinis punctualibus, quod ſcilicet Fiſcus tenetur ad damna, & intereſse ipſius ſimpli, quæ conſiſtit in pretio rei currentis tempore evictionis, quatenus verò exadverſo reſpondetur, id non procedere, quando Fiſcus procedit uti Princeps, ex Larrea *alleg. 18. à num. 16.* replicamus Larream non tangere hanc quæſtionem, ſed aliam reſtauri faciendi Appaltatori vectigalium, quando fuit interdictum commercium ex cauſa belli, vel alterius publicæ neceſsitatis, quod toto Cœlo diſtat à caſu noſtro. 8 9 10

Ultra quod hoc refugium DD. Cameralium (quando videnr non poſse adæquatè reſpondere) quod ſcilicet proceſsum fuit per legem generalem uti Principis, & ſimilia, non ſubſiſtit, cum Sanctiſsimus Dominus noſter, pro ſua infinita humanitate, & æquitate, noluerit in hac ſuppreſsione adhibere ſuam ſummam, & abſolutam poteſtatem, ſed ordinariam, & intra limites Juris, & Juſtitiæ

tiæ incluſam, & ideò cauſam decidendam remiſit huic Sacro Tribunali, prout de jure, quod non feciſſet, ſi ſupremam auctoritatem adhibere voluiſſet, ſed per modum conſ-

ditæ legis ordinaſſet, abſque alio recurſu, illius obſervantiam.

Quare, &c. *Gaſpar Tuchus.*

NUM. VIII.

PRIMA DECISIO ROTÆ REVERENDISS. D. ALBERGATO DECANO.

Veneris 16. Junii 1679.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

Verba ubi ſunt clara, non eſt recurrendum ad ſubauditos intellectus; Verbum *reſtituere* aliquando ſignificat dare, & ſolvere. Quæ dicatur integralis ſatisfactio.

SUMMARIUM.

1 *In claris non est convolandum ad interpretationem.*
2 *Verbum* reſtituere *de sui natura significat reddere, & retrodare.*
3 *Aliquando accipitur pro dare, & solvere.*
4 *Dictio* tunc *significat extremitatem temporis.*
5 *Dictio* eos *est personalis.*
6 *Non dicitur integrè habere, qui totum non habet.*
7 *Ex diversis non fit illatio.*

COllegium, quod anno 1487. ſan. mem. Innocentius Octavus ex ſex Secretariis Apoſtolicis primitus inſtitutis à ſuis prædeceſſoribus Calixto Tertio, & Pio Secundo auxerat ad 30. conditione adjecta, quod illis ſex decedentibus eorum officia alteri concedi amplius non poſſent, ſed accreſcerent aliis, itaut impoſterum 24. dumtaxat Secretarii exiſterent, noviſſimè urgentiſſimis de cauſis, publicum bonum reſpicien. extinxit, & ſuppreſſit Sanctiſſimus Dominus Noſter, mandans perſolvi ſingulis Secretariis, officia poſſidentibus, totum id, quod ab eis, vel eorum Auctoribus ſolutum fuit Cameræ, & ulterius Motu proprio, incomparabili ſuæ humanitatis, & juſtitiæ exemplo, cognitionem, An, & quid ultra quantitatem ſolvi demandatam reſtituendum, ſeu perſolvendum eſſet, commiſit Illuſtriſſimo Theſaurario de voto Rotæ, omnibus Auditoribus ſuffragium præſtantibus, appellatione remota. Quamobrem propoſui hodie dubium ſuper quantitate pretii reſtituendi, & reſponſum fuit, eſſe reſtituendum pretium illud, quod quilibet ex Secretariis exegavit in emptionem ſui officii. 3

Fundamentum enim hujus reſolutionis fuit Conſtitutio B. Pii V. edita anno 1571. qui comperto, quod officium vacans per obitum Marcelli Auguſtini, à ſe conceſſum Cardinali Mediceo, recepta ſumma ſcutorum 5500. auri, erat unum ex illis ſex, quæ ad formam Innocentianæ Conſtitutionis vendi amplius nequibant, dicta ſua particulari Conſtitutione, loco dicti Officii; cujus pretium dicto Cardinali reſtituere ſe obtulerat Collegium Secretariorum, eidem Collegio, & Secretariis aſſignavit pretium Officii alterius Secretariatus, ex numero vigintiquatuor, primo loco vacaturi, concedens facultatem Secretariis Officium prædictum vendendi pro pretio tunc temporis reperibili, & congruo, etiamſi dictam ſummam ſcutorum 5500. pretium ex venditione percipiendum, in parva, vel magna ſumma excederet, illudque in uſus, & utilitatem Secretariorum, & Collegii convertendi, ac ulterius privilegia Collegii confirmavit, & pro potiori cauthela eadem denuò conceſſit ſubdens hæc verba - *Volentes, & ſtatuentes illa ullo unquam tempore per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes revocari, reduci, alterari, aut moderari, ſeu Collegium ipſum ſupprimi, vel extingui non poſſe, niſi reſtitutis prius realiter, & cum effectu ſingulis Secretariis, tunc viventibus, integrè, & abſque ulla diminutione, pecuniis, pro quibus eos Officia emiſſe, aut habuiſſe conſtiterit.* Ex quorum verborum tenore DD. cenſuerunt reſultare expreſſam voluntatem dicti B. Pontificis, quod in caſu ſuppreſſionis, & extinctionis hujuſmodi Collegii, & Officiorum debeat reſtitui ſingulis Secretariis pretium ab ipſis ſolutum pro officio obtinendo, propterea ad eorum favorem militare ſpecialem, & expreſſam Conſtitutionem Papalem, propter quam recurri non poteſt ad interpretationem, & ſubauditum intellectum, juxta Text. *in l. ille, aut ille §. cum in verbis ff. de legat. 3. l. non aliter ff. eodem*, Rot. *deciſ. 589. n. 2.* & 3. coram Card. Seraph. 1

Nec verbum illud *reſtituti* viſum eſt poſſe referri ad reſtitutionem illius quantitatis, quam Camera recepit in conceſſione, ſeu venditione officii facta per ipſam, non autem ad illud plus, quod ſolutum fuit reſignantibus ab illis, qui mediante reſignatione à Summo Pontifice admiſſa, acquiſiverunt officia, quia licet verbum *reſtituere* de ſui natura ſignificet reddere, & retrodare, juxta Text. *in l prima, §. elegantèr ff. Depoſ.* Gloſ. *in l. qui uxori verb. reddiff de aur. & argent. legat. & in l. mancipia verb. avocandum Cod. de ſerv. fugit.* Menoch. *conſ. 1155. n. 51.* Rot. *deciſ. 7. n. 12.* coram Dunoz. Jun. tamen ſignificat, & accipitur aliquando etiam pro dare, & ſolvere juxta Text. *in l. ... verb. reddendi ff. de verb. ſignif. l. cum quidam ff. de legat. 2. l. hæres meus ff. de legat. 3.* & eleganter relatis juribus, & DD. ac etiam humanioris litteraturæ profeſſoribus, exornat, *deciſ. 77. à n. 12. ad 15.* coram Arguell. 2

Quod autem hujuſmodi verbum acceptum fuerit Conſtitutione Piana in ſignificationem ſolvendi, ſeu dandi, deſumebatur, tum ex illis verbis, quibus B. Pius utitur, loquens de ſcutis 5500. auri reſtituendis Cardinali Mediceo ibi. *Quoniam Secretarii prædicti &c. dictam ſummam &c. eidem Cardinali noſtro nomine reſtituere ſe obtulerunt*; & tamen Secretarii cum nihil à Cardinali recepiſſent, eidem nihil propriè reſtituere tenebantur, tum etiam ex quo B. Pius ſciens officia eſſe venalia, & refignabilia, & ſic pretium poſſe mutari, ut colligitur ex verbis ejuſdem Conſtitutionis in ea parte, in qua aſsignans Secretariis officium vacaturum loco illius conceſsi Cardinali Mediceo, dedit Collegio, & Secretariis facultatem illud vendendi pretio reperibili, & etiam excedente dictam ſummam ſcutorum 5500. auri, & poſtea conſiderans caſum ſuppreſsionis ipſorum officiorum, generaliter ſtatuit, Collegium ſupprimi, aut extigui non poſſe, niſi prius reſtitutis ſingulis Secretariis, tunc viventibus integrè, & abſque ulla diminutione pecuniis, unde colligitur, ipſum non reſpexiſſe ad Cameram, à qua reſtitutio facienda erat de tempore ſuppreſsionis, & extinctionis, ſed ad Secretarios, qui pecunias ſolverant pro emendo officio, quibus tunc facienda erat reſtitutio, indicant verba *Secretariis tunc viventibus*, dictio enim *tunc* ſignificat extremitatem temporis, & ad illud diſpoſitionem reſtringit, Barboſ. *dict. 419. nu. 1.* & 7. Rot. *deciſ 87. nu 10.* coram Royas, & oſtendunt etiam alia verba - *pro quibus eos officia emiſſe, aut habuiſſe*, nam illa dictio *eos* eſt perſonalis, & refertur ad perſonas ſupra expreſſas Secretariorum tunc viventium Pariſ. *de reſignat. lib. 11. quæſt. 5. num. 6.* Menoch. *conſ. 200. nu. 3.* Barboſ. *dict. 103. nu. 3.* & ſi in caſum ſuppreſsionis, & extinctionis Collegii non reſtitueretur ſingulis Secretariis tunc viventibus pecunia ab ipſis ſoluta pro obtinendo officio, ſed dumtaxat illud, quod venditum erat, eſſet contra tenorem dictæ Bullæ Pianæ, quia eiſdem non reſtitueretur integra, & abſque ulla diminutione pecunia, cum integrè, & ſine diminutione habere non dicatur ille, qui totum non habet, Menoch. *conſ. 687. n. 43.* Rot. *deciſ. 300. verſ. hæreditatem part. 1 recent.* cum aliis per Barboſ. *dict. 167. n. 1.* & *ſeqq. ubi n. 7.* dicitur integra pecunia, ideſt omnis pecunia per Text. *in l. ſi rem alienam la prima §. omnis ff. de pignorat. act.* & facit Bald. *conſ. 424. n. 1. lib. 2.* 4 5 6

Nec viſum eſt DD. poſſe applicari exempla aliarum ſuppreſsionum, & extinctionum officiorum, tum à Summis Pontificibus, tum ab aliis exteris Principibus factarum, in quibus dumtaxat pretium ingreſſum in publicum Ærarium fuit Officialibus reſtitutum, quia inde non poteſt deſumi obſervantia declarativa pro caſu, de quo agitur, nam nullibi cautum erat, quod in illorum extinctione reſtitueretur pecunia ab Officialibus ſoluta pro emendo officio, prout in iſtis officiis Secretariatuum ſpecialiter diſpoſitum eſt, per dictam Pianam Conſtitutionem, mandantem Collegium ſupprimi, aut extingui non poſſe, niſi prius reſtitutis 7

reali-

realiter, & cum effectu singulis Secretariis, tunc viventibus, integrè, & absque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eos officia emisse, aut habuisse constiterit, quapropter de uno ad alterum nequi inferri vulgata *l. Papianus ff. de minor.* & ubi militat diversa ratio, diversa quoque debet militare juris dispositio ad Text. *in l. illud ff. ad l. Aquil.*

Et ita utraque &c.

NUM. IX.

Discursus contra decisionem, ad effectum audiendi sensum Tribunalium, & Jurisconsultorum, de quibus infra, cum subscriptionibus multorum Jurisconsultorum Neapolitanorum.

ARGUMENTUM.

De significatione verborum *restituere*, *reddere*, & *solvere* Officia venalia, & jura vitalitia quomodo sint in commercio; Lex nova quando dicatur correctoria antiquæ; Donatio, in quo casu præsumenda, & quando sit personalis. De variis speciebus fisci, & quando sit, necne odiosus. Subscriptiones, & approbationes præsentis discursus trium Advocatorum Neapolis.

SUMMARIUM.

1 Facti series.
2 *In claris non intrant quæstiones.*
3 *Verbum* restituere *non est verificabile, nisi in eo, quod alteri ablatum est, vel ab eo receptum.*
4 *Quandoque accipitur pro dare, vel solvere.*
5 *De differentia inter verbum* restituere, *& verbum* reddere, *ac* solvere, *ubi de vera, & propria significatione dictorum verborum.*
6 *Verbum* reddere *magis latè patet, quam verbum* restituere, *& de eorum differentia.*
7 *Clarum dicitur illud, quod sensu corporeo percipitur, absque aliqua impropriatione verborum, vel ratiocinio.*
8 *Verba non sunt impropriandа, nisi concurrentibus conjecturis, & præsumptionibus contrariæ voluntatis.*
9 *Actus adscribitur mandanti, non mandatario.*
10 *Officia venalia, aliaque jura Principis non sunt in commercio, quoad substantiam, sed quoad commoditatem, & quomodo dicantur de resignante in resignatarium transire, & num. 41.*
11 *Resignatarius non dicitur obtinere beneficium à resignante, sed directè, & immediatè à Papa.*
12 *Usufructuarius non potest credere usumfructum quoad substantiam, sed tantum quoad commoditatem, nisi accedat consensus proprietarii, quo casu ipse dicitur creare novum usumfructum.*
13 *Quod etiam procedit in pensionibus, aliisque juribus vitalitis.*
14 *Verba* emisse, *& habuisse, de quibus in Motu proprio, intelliguntur de pecuniis solutis Cameræ, non resignantibus.*
15 *Jus vedimendi censum vitalitium exerceri potest pro eodem pretio, quamvis intermedio tempore, etiam cum consensu redimere volentis, fuisset venditus tertio pro majori pretio.*
16 *Illud plus, quod resignans percipit à resignatario in hujusmodi jurium cessione, non dicitur pretium, sed præmium resignationis.*
17 *Concordia restringitur ad ea, quæ sub controversia cadebant.*
18 *Verba affrænata non faciunt præsumere partes inivisse contractum à concordia diversum, & separatum.*
19 *Confirmatio nihil addit de novo, sed restringitur ad limites confirmati, cui verba, quantumvis ampla, famulantur.*
20 *Rubrica attenditur ad probationem, vel interpretationem dispositionis.*
21 *Assistentia juris transfert in adversarii onus probationis.*
22 *Lex nova non præsumitur corrigere antiquam, quando est de per se in aliquo operativa.*
23 *Novatio non præsumitur, sed necesse est, quod exprimatur.*
24 *Donatio non præsumitur, atque omnis capi debet intellectus pro ejus exclusione.*
25 *Maximè quando est valde exorbitans, & nulla concurrit causa donandi.*
26 *Ex appositione, vel omissione eorum, quæ sunt de stylo, arguit voluntas Papæ, quidve agere intellexerit.*
27 *Papa, qui noluit præjudicare Cameræ in summa minori, non est præsumendus eidem præjudicare voluisse in valde majori, &* nu. 39.
28 *Obligatio restituendi damna passa, refertur ad damna passa de proprio.*
29 *Fiscus non tenetur ad stipulationem, ex qua sibi emergit læsio enormissima.*
30 *Donationes gratuita Officiorum futurorum sunt revocatæ per regulam Cancellariæ 64. & per Constitutionem Pauli Quinti, & Urbani Octavi.*
31 *Sunt invalidæ, nisi registrentur in Camera, & derogetur regulæ de jure quæsito non tollendo.*
32 *Donatio gratuita censenda est personalis, & restricta ad personas cognitas, & beneméritas, non autem ad ignotas, & futuras.*
33 *Maximè si fiat ex motivo gratitudinis.*
34 *Et contemplati sint donatarii viventer.*
35 *In Dubio pronunciandum est contra fiscum.*
36 *De variis speciebus fisci.*
36 *Contra fiscum in dubio pronunciandum est, quando fovet causam lucrativam ratione pœnæ, seu successionis ad exclusionem illorum de sanguine.*
36 *Non autem quando fovet causam onerosam, & correspectivam, & agit de damno vitando, & vecta Ærarii administratione.*
37 *De variis privilegiis, quæ in isto postremo casu competunt fisco.*
38 *Respublica, quando agit de damno vitando, est magis privilegiata in suis bonis, quam sit mulier in sua dote.*
39 *Obligatio expressa Cameræ restituendi idem pretium pro uno Officio facit præsumere, id observandum esse in cæterorum suppressione.*
40 *Principes cum recedunt à contractu, de jure non tenentur restituere, nisi pretium receptum.*
41 *Officia venalia non sunt in commercio.*
42 *Princeps cum ea supprimit, restituit illud pretium, quod habuit.*
43 *Beatus Pius Quintus cum demandavit restitutionem pecuniarum, solum removere fluduit ejusdem restitutionis dilationem.*

COllegio Secretariorum Apostolicorum, quod tunc ex sex Officialibus constabat, Innocentius Octavus alios 24. adjunxit, quamplura concedendo privilegia, aliquas faciendo notabiles assignationes emolumentorum, quorum intuitu scut. 62. auri ab eodem Collegio recepit sub variis legibus, illis præsertim ad rem facientibus, quod licet tunc numerus esset triginta Officialium, nihilominus reduci deberet ad vigintiquatuor, adeòut deficientibus antiquis, sex illorum officia, seu loca provideri non possent, sed extincta remanere deberent, quodque ad ejusdem Collegii suppressionem deveniri non posset, nisi prius integrè restitutis per Cameram præfatis scut. 62. mil. Idque per successores Pontifices Alexandrum Sextum, Julium Secundum, & Leonem Decimum approbatum, & confirmatum fuit cum concessione aliorum privilegiorum ad rem non facientium. Cumque sub B. Pio Quinto contigisset vacatio unius ex præfatis sex antiquis locis, vel officiis supprimendis, Pontifex autem, hujus rei ignarus, illud vendidisset Cardinali Mediceo pro pretio scut. 5500. auri, atque Collegium recursum habuisset ad eumdem Pontificem, hic agnoscendo veritatem, cum ejus Motu proprio provisionem dicti officii cassavit, & annullavit, sed quoniam opportebat restituere Cardinali emptori acceptum pretium scutor. 5500. auri, carebat verò prompta pecunia, ob graves impensas celeberrimæ classis Maritimæ contra Turcas, & Secretarii se obtulerunt pro eo, & ejus nomine, tanquam per speciem mutui, dictam pecuniam restituere, dummodo pro reimbursatione sibi daretur insolutum officium primo vacaturum, quod pro reperibili pretio, etiam majori, vendere possent, idcircò in eodem Motu proprio, facta ista concessione, inter alias disponitur, quod Secretarii dictam summam accipere possent ad Censum, quodque in eventum non implementi, Camera teneretur ad solvendum dictam summam scutorum 5500. auri una cum damnis, & interesse passis declarando ita inter ipsum Pontificem, & Sedem Apostolicam, ex una, & Collegium ex altera partibus conventum esse, quodque dictus Motus proprius vim initi, & stipulati contractus habere deberet. 1

Hactenus

Hactenus circa dictum officium, vel respectivè pretium, super quo erat controversia, & super quo principaliter conventio inita fuit, postmodum per novum periodum novæ orationis, novæque, ac diversæ dispositionis inchoativam ex *vers. Ad hæc* subjungit Pontifex, quod volens amplioris favoris gratia Collegium prosequi, ut ea, quæ per Prædecessores concessa fuerunt firmiter subsistant, idcircò omnia per dictos Prædecessores concessa, quatenus Concilii Tridentini decretis non adversentur, confirmat, & approbat, & pro potiori cautela de novo concedit. *Volens (sunt verba præcisa) dicta privilegia ullo unquam tempore alterari, aut moderari, seu Collegium ipsum supprimi, vel extingui non posse, nisi restitutis prius realiter, & cum effectu singulis Secretariis tunc viventibus integre, & absque ulla diminutione pecuniis, pro quibus eorum officia emisse, aut habuisse constiterit*: cumque in Cedula hujus Motus proprii concedatur Secretariis facultas expediendi desuper unam, vel plures litteras in forma Brevis, idcircò ex tunc illi curarunt expedire duo Brevia, unum super dicta parte, concernente restitutionem scutorum 5500. ad effectum illos sumendi ad censum, & alterum separatum super secunda parte, continente confirmationem privilegiorum, atque huic secundo, impresso ex tunc in quodam libro, data fuit inscriptio, quod esset Confirmatio privilegiorum.

Cum autem Sanctissimus Dominus Noster Innocentius Undecimus ex justissimis causis publicam utilitatem, ac necessitatem concernentibus, Collegium præfatum extinguere, ac supprimere decrevisset, plures autem exortæ forent dubitationes super restitutione pretii, facienda officiorum possessoribus, idcircò in Motu proprio dictæ suppressionis mandavit, quod prompté per Cameram eis restitui deberent illæ pecuniæ, quas constaret ad eamdem obveniisse, prout jam sequutum fuit, pro eo verò pluris, quod per eosdem Officiales solutum fuit resignantibus pretium, prout de jure decidendum commisit judicio Rotæ, à qua coram Decano, dato dubio, An, & quale pretium restituendum sit sub 16. Junii præteriti prodiit resolutio restituendum esset totum id, quod quilibet ex Secretariis erogavit in emptionem sui officii, ex unico fundamento prætatæ Constitutionis in verbis supra registratis, quasi quod ita expressè, ac in verbis ita statuatur, adeòut intret vulgaris regula, Text. *in l. ille, aut ille ff. de leg. 3.* quod in claris, & expressis non intrant quæstiones, & argumenta, ut ex decisione desuper edita, quæ datur annexa, ideòque videndum est, an dicta resolutio subsistat, necne.

2 Pro methodica veritatis indagine, duæ videntur efformandæ inspectiones, una procedendo cum præfati Piani Motus proprii littera, seu verbis, ut facit decisio, & altera procedendo, cum ejusdem Motus proprii juridica interpretatione.

Quoad primam partem, verba in eorum tam naturali, & grammaticali, quam legali significatione assistunt Cameræ, ut non teneatur ad restituendum, nisi id, quod recepit, quoniam verbum *restituere* non est verificabile, nisi in eo, quod alteri ablatum est, vel ab eo acceptum, non autem in eo, quod nec ablatum, nec abitum fuit, ut expressè
3 probant quamplura jura litteralia, *l. restituere 35. & 75. de verb. signif. l. 1. §. elegantes ff. depositi.* cum concord. per Rebuff. *in dict. l. 75.* & Menoch. *cons. 1155. n. 51. & seqq.* Et docet ipse discursus universalis, & communis loquendi usus.

4 Admittit decisio hanc regulam, sed respondet, quod quandoque accipitur pro dare, vel solvere, juxta ibi allegatas auctoritates; *L. verbum reddendi ff. de verb. sign.* cum concord. per Rot. apud Arguell. *decis. 77. à n. 12. ad 15.*

Verùm in hoc solemniter æquivocatur, quoniam verum est assumptum, de quo in mox allegata Rotæ decisione coram Arguell. & in juribus, ac auctoritatibus ibi recensitis, sed æquivocum est in applicatione, pro qua benè facienda,
5 & diluendis æquivocis, reflectendum est ad differentiam, quæ dignoscitur inter verbum *restituere*, & verbum *reddere*, ac etiam ad significationem verbi *solvere*. In vera siquidem ac stricta, tam legali, quam grammaticali significatione, verbum *restituere* verificatur solum in rebus, quæ consistunt in specie; Verbum autem *solvere* verificatur in rebus, quæ consistunt in genere, in quo recipiunt functionem, semper tamen cum præsuppositio debiti, & obligationis restituendi, vel solvendi domino, vel creditori id, quod receptum est, & in manibus de alieno, unde licitè retineri non potest, ut puta exemplificando si quis licitè, & sine delicto ex causa commodati, vel depositi, seu locationis, & simili, aut illicitè ex spolio, & violentia detinet domum, prædum, equum, vestem, vel aliam rem alterius, intrat verbum *restituere*, non autem verbum *solvere*, quoniam istud non verificatur, nisi in rebus consistentibus in genere, in quo recipiunt functionem, puta in pecunia, tritico, vino, oleo, & similibus, semper tamen, quod actus fiat per debitorem, vel obligatum restituendi, vel respectivè solvendi, ubi verò sive agatur de specie, sive de genere, aliquid datur sine obligatione, de proprio, ex liberalitate, non dicitur *restitui*, vel *solvi*, sed dicitur concedi, elargiri, donari &c. unde propterea de facili conceditur eloquutionis impropriatio, quod in restituente speciem ex obligatione adhibeatur verbum *solvi*, & insolvente pecuniam, vel aliud genus adhibeatur verbum *restitui*, seu *reddi*, & hic est casus, de quo in dicta decisione Rotæ coram Arguel. quod in substantia aderat debitum, sola verò quæstio erat, an reddenda esset species, vel solvenda esset quantitas, non autem ut sive verbum restituere, sive verbum reddere, aut verbum solvere esset adaptabile illi, qui nihil recepit, nullamque habet restituendi, vel reddendi, sive solvendi obligationem, quoniam licèt, quando donator, vel mutuator, aut deponens commodat, vel deponit (sive mutuat) de facto dicatur restituere, vel solvere, attamen ista est vulgaris, & impropria loquutio, non autem legalis, vel grammaticalis.

Verbum verò *reddere* latius patet, quoniam non solùm 6
est aptum significare idem, quod significat verbum *restituere*, seu verbum *solvere*, quorum utrumque semper præsupponit debitum, sed etiam est aptum denotare idem ac verbum *dare*, vel *donare*, ut frequenter istud verbum practicatur in sacra pagina in Deo, qui nullam habet obligationem erga homines, sed totum concedit ex gratia, ibi; *redde mihi lætitiam salutaris tui*, & ibi: *reddidit mercedem Sanctorum suorum* cum mille similibus passibus, vel locis, qui cumulari de facili possunt, & sic magna differentia est inter verbum *restituere*, & verbum *reddere*, atque impropriatio verbi restituere in verbum solvere semper præsupponit debitum restituendi, vel solvendi alienum, quod habitum in manibus, secus autem in verbo *reddere*; *dicta l. verborum reddendi de verb. signif.* Rebuff. *ibid. & in dicta leg. restituere 75. eod. tit.* Gratian. *decis. 47. n. 5 & 6* Andreol. *contr. 40. n. 12.*

Et nihilominus si procedendum est ad impropriationem 7
ergo non benè dicitur, quod res sit adeò expressa, & clara, ut intret regula textus *in lege ille, aut ille*, quoniam clarum, & expressum dicitur solum id, quod patet oculis corporeis, atque solo sensu corporeo percipitur, absque aliqua impropriatione, vel ratiocinio, aliaque operatione intellectus, non autem ista accedente, Tiraquell. *ad l. connub. glos. 1. num. 174.* Rota apud Bich. *decis. 612. n 16. ubi concordantes.*

Prætereà, ut patet ex eadem decisione coram Arguell. & 8
concordantibus ibidem allegatis, ad dictam verborum impropriationem, tanquam per limitationem regulæ, non devenitur, nisi quando ita suadeant facti circumstantiæ, ac diversæ voluntatis argumenta, præsumptiones, & conjecturæ, ita famulando substantiæ veritatis potius, quam verborum cortici, & grammaticali, seu litterali significationi, quia debitum adfit in substantia, quod nullatenus dici potest in casu, de quo agitur, quoniam ex dicto Motu proprio nullum colligi videtur agumentum, vel probatio, quod Pontifex impropriè loqui voluerit, ac demandare restitutionem non accepti, tanquam per gratuitam elargitionem, sed potius clare convincitur contrarium, quoniam per sex vices adhibetur istud verbum *restituere*, tam in aliis quinque præcedentibus semper adhibetur juxta propriam, & naturalem significationem restituendi id, quod habitum fuerat, & tanquam alienum retineri non poterat, ut ad evidentiam probat contextus totus cedulæ Motus proprii.

Et licèt in decisione ponderetur, quod bis Pontifex adhibeat istud verbum impropriè, occasione dicendi, quod Secretarii volebant restituere Cardinali Mediceo scut. 550. quos ipsi non habuerant, sed habuerat ipse Papa; Attamen id mirificè retorquetur, atque apertè probat fallaciam, quodque Papa adhibere voluerit istud verbum in ejus vera, propria, & naturali significatione, quoniam rectè sciens, quod illud non congueret Secretariis, qui nihil habuerant à Cardinali Mediceo, sed competeret ipsi Papæ, qui summam prædictam à præfato Cardinali habuerat, prudenter, ac mysteriosè utraque vice, post verbum restituere, adjecit illa verba *pro nobis, & nomine nostro*, & sic in effectu ipse Papa restituebat acceptum per manus mutuatoris, tanquam 9
ejus Mandatarii, & negotiorum gestoris, eo modo, quo in dies Principes, & Magnates, ac viri nobiles, & negotiatores, solutiones faciunt eorum creditoribus per manus famulorum, vel proactorum, sive institorum, aliorumque mandatariorum, adeòut aliqua mirandi occasio fortè subesse videatur,

deatur, quod ista consideratio in Decisione fiat, dum ad evidentiam comprobat contrarium.

Demum quoad istam primam inspectionem verbalem, pro clariori comprobatione præmissorum, reflectendum est, quod alia verba subsequentia, *Scilicet pecuniis, pro quibus eorum officia cessisse, vel habuisse consiterit* referri legaliter non possunt, nec debent, nisi ad pecunias solutas Cameræ, à qua, & non ab aliis officia emi, & haberi dicuntur, nullatenus verò dicta verba congruunt privatis resignantibus, atque ad hoc attentè reflectendum videtur, quoniam si loqui volumus more Doctorum, & per veros terminos, ac propositiones legales, ista res remanet omninò plana ad favorem Cameræ.

10 Pro istius assumpti comprobatione reflectendum est ad certum, & ibique receptum principium, quod ista officia venalia, aliaque similia jura Principis, vel Reipublicæ, non sunt in privato commercio, quoad subſtantiam, & quoad translationem de uno in alterum, cum solum in commercio sit eorum commoditas, firma remanente subſtantia in persona Officialis cedentis, quæ pro vacatione attenditur, quoties non accedat Principis beneplacitum, in cujus casu resignatio, quæ fit per officii possessorem, aliud non operatur, nisi extinctionem proprii juris, ita tollendo se de medio, ac faciendo se mortuum, ut propterea sequi dicatur vacatio, atque officium, tanquam vacans, ex integro per Principem conceditur resignatario, & sic resignans est solum medium, vel occasio, nunquam verò ipse dici potest venditor, vel concessor, neque quod ab eo resignatarius emisse, vel habuisse dicatur. Eatenus autem pretium conventum solvitur resignanti, non autem Principi, quia cum hic semel pretium habuerit, justum, & rationabile non est, ut illud duplicatum recipiat, stante facultate concessa re-
11 signandi, dum ita esset locupletari cum aliena jactura, in reliquis autem adamussim in hoc procedunt ea, quæ habemus in resignationibus bonorum Ecclesiasticorum, quoniam resignatarius non dicitur habere beneficium à resignante, quamvis cum consensu Papæ aliquam pecuniarum summam ei solvat pro extinctione pensionis reservatæ, vel reservandæ, sed dicitur directè, ac immediatè obtinere à Papa, Salgad. *& alii relati in thoatr.lib.2.de regal.disc.4.& 16. & in aliis pluribus, cum sit principium indubitatum.*

12 Idque non est speciale in officiis, & aliis juribus cum Principe, eo quia sint de regalibus, ut aliqui malè opinantur, rerum principia non perscrutantes, sed generaliter in terminis juris communis procedit in omnibus juribus vitalitiis, quando agitur de translatione juris de una persona in alteram, ut præsertim habemus in jure dispositum in usufructu, à quo ex identitate rationis arguere licet ad census vitalitios, & ad emptiones bonorum ad vitam, quoniam usufructuarius, absque consensu proprietatis, non potest vendere, vel cedere usumfructum alteri, quoad subſtantiam, sed solum potest vendere, vel cedere commoditatem, quæ redolet simplex mandatum ad exigendum, durante vita cedentis, ex cujus persona regulatur ususfructus extinctio, vel cessatio, quando verò accedit proprietarii consensus, iste operari dicitur extinctionem prioris ususfructus in persona cedentis, & novam ex integro creationem alterius ususfructus in persona cessionarii, ex qua vacatio regulatur, adeòut proprietarius, consentiendo mutationi personæ, ita emere dicatur aleam, quæ potest æquè se habere ad lucrum, & ad
13 damnum, quia potest translatarius decedere, ante transferentem, Rota latè, & magistraliter apud Merlin. *decis.*843 *cum concordantib.in thoatr.lib.6.de dote disc.*148.*ex nu 1. ubi ex profess.* idemque passim habemus in translationibus pensionum Ecclesiasticarum, & in censibus, aliisque contractibus vitalitiis, & sic ad rem nostram illa verba *emisse, & habuisse*, si dicere volumus, quod Papa benè, & legaliter
14 tanquam peritus, non autem tanquam idiota loquutus fuerit, nullo modo referri possunt ad resignantes, sed ad Papam, & ad Cameram, unde de consequenti, pecuniæ pro quibus officia emi, vel haberi dicuntur, sunt illæ, quæ solvuntur Papæ, & Cameræ tanquam venditori, & concessori, non autem illæ pluris, quæ solvuntur resignanti tan-
15 quam donativum, & recognitio resignationis.

Ponamus itaque, quod imponatur census vitalitius, cum facultate redimendi, per Titium ad favorem Sempronii, vel quod cum eodem jure redimendi Titius vendat Sempronio prædium ad vitam, vel prædii usumfructum, pretio scutorum mille, ubi verò Cajus acquiret illum censum, vel illum usumfructum, atque pro obtinenda ejus cessione, ultra mille solvat Sempronio emptori alia centum, vel centum, sive plus, Titius autem venditor; vel impositor census morem utique gerendo, ejus consensum præbeat, utique in casu, quo velit exercere redimendi facultatem, ad
16 aliud teneri non debebit, nisi ad mille, quæ recepit, istæque, quoad ipsum, sunt pecuniæ, pro quibus illud jus emptum, vel habitum fuit, reliquum verò est præmium, vel donativum, quod resignatarius fecit resignanti, ad hoc, ut illum poneret in locum suum, atque resignatarius percipere debet primum pretium solutum venditori per resignantem, tanquam ejus cessionarius, & subrogatus in ejus locum, istique videntur veri, ac proprii termini quæstionis, de qua agitur. Et per consequens, si attendere volumus verba eo modo, quo in propria, & vera tam legali, quam naturali significatione attendi debent, ista assistunt Cameræ, cui potiùs conguere videtur dicta regula Textus *in leg. ille, aut ille*, quam veré mirandum est adductam fuisse in contrarium, ita malè redarguendo Cameræ defensores, & consiliarios, vel de aperta ineptia, & fatuitate non intelligendi verba clara, & expressa, vel de manifesta calumnia, assumendo, & subſtinendo litem in re adeò clara, expressa, & litterali, quod intret dicta regula Textus *in leg. ille, aut ille*.

Ista sufficere, & abundare videntur pro impugnatione decisionis, absque necessitate assumendi aliam inspectionem super juridica intelligentia, vel interpretatione, sive operatione dicti Motus proprii Piani, verum ad superabundantiam assumendo istam inspectionem, ex illa clarum quoque esset bonum jus Cameræ, quamvis juxta sensum decisionis verba sibi obstarent.

Ad id autem dignoscendum, reflectendum est ad totum contextum præfati Motus proprii, qui integrè, & per extensum, non autem per particulas considerari debet. Attento siquidem ejus contextu, juxta facti seriem, cum misterio distinctè superius enarratam, illa conventio inter Papam, & Secretarios in subſtantia principaliter continet concordiam inter eos initam super illo officio vacato, & vendito per Papam, qui vendere non potuerat, idque dedit occasionem illi controversiæ, quæ cum ea conventione sopita fuit, ideòque intrat dilemma. Aut dicimus, quod totus Motus proprius, etiam in §. Ad hæc, in quo continentur verba superius regiſtrata in quibus se fundat decisio, continet unicam dispositionem individuam, ut dicimus, quod continet duas partes, ac dispositiones diversas, ac separatas, unam scilicet super dicta concordia ab initio usque ad §. Ad hæc, & alteram confirmationem privilegiorum, à dicto §. Ad hæc, usque ad finem.

Si dicimus juxta primam partem dilemmatis, quod sit 17
unica, individua, & correspectiva dispositio, tunc dicta verba nullatenus facere possunt illam operationem, quæ in decisione præsupponitur, quoniam de natura coadcordiæ est, ut restringatur ad ea, quæ erant in controversia; Unde propterea quæcumque verba, quantumvis ampla, & effrænata, quæ in ea adiiciuntur, stant famulativè, & ultrò non operantur, nisi quando constet de partium voluntate, in dubio non præsumenda, faciendi alium actum, vel contractum à concordia diversum, & separatum, latè Rota apud Merlin. *dec.* 17. apud Gregor. *dec.* 158.*dec.*1211.*ex n.*18.*p.*11.*recent.cum concord. in theatr. lib.* 1.*de feud.disc.*47.*num.*8.*&* 11.*& alibi pluries, quia est principium certum*. Ideòque cum quæstio, quæ conventioni causam dedit, esset solum super uno officio, ejusque pretio scutorum 5500. utique ultrò egredi non potest, neque alium operari effectum, adeò extraneum, adeòque Cameræ læsivum, & præjudiciale in summa scut. 150. mis. circiter, atque alias esset dare, quod pro mutuo scutorum 5500. quod Secretarii fecerunt Pontifici, reportasent adeò magnum, & ingens lucrum, unde resulteret, vel maxima, & nunquam audita usura etiam inter Judæos, vel maxima, & pluſquam enormissima læsio.

Aut dicitur, ut verius dicendum videtur, quod dictus 18
Motus proprius contineat duas partes omninò diversas, ac distinctas, primam scilicet ab initio usque ad §. Ad hæc super concordia, & contractu correspectivo, circa reintegrationem scutorum 5500. Et alteram à dicto §. Ad hæc, usque ad finem, in qua continetur mera gratia super confirmatione privilegiorum, & tunc quatenus pertinet ad hanc secundam partem, verba in facti serie regiſtrata, in qua totum est decisionis fundamentum, eatenus attendi debent, suamque faciunt operationem, quatenus idem disponatur in confirmatis Privilegiis Innocentii Octavi, Alexandri Sexti, Julii Secundi, & Leonis Decimi, ex 19
certo, & recepto juris principio, quod de natura confirmationis est nihil de novo inducere, sed restringi ad limites confir-

confirmati, adeòut verba, quantumvis ampla, stent famulativè pro majori firmitate actus, sed ultrò non progrediantur, quoties non constet de voluntate faciendi omninò novam, ac diversam concessionem, *cap.*1.*&* 2. *de confirmat. util. vel inutil.* Rota *dec.* 293. *nu.*13.*par.*11.*recen. cum concord.in theatr.lib.*1.*de feud.disc.*60.*n.*11.

Quod autem dicta secunda pars sit diversa, & contineat solum confirmationem, patet non solum ex omninò nova periodo, novæ Orationis inchoativa, sed etiam quia in prima parte Pontifex profitetur procedere per viam contractus & conventionis, in hac verò secunda parte profitetur procedere per viam gratiæ. Ac etiam comprobat observantia ipsorum Secretariorum, qui super hac secunda parte expedierunt litteras in forma Brevis ad partes, eique inscripserunt Rubricam Confirmationis privilegiorum; Rubri-
20 ca enim attenditur ad probationem, vel interpretationem, Gloss. *in l. unic. cap. ne liceat* 3. *provocare cum concord.* apud Royas *decis* 359. *num.* 74. *Firmana successionis* 14. *Martii* 1564. Bevil. *& sæpius*.

Quodque non adsit voluntas faciendi novationem, & concedendi de novo id, quod non continetur in privilegiis confirmatis, sufficere negare, donec talis voluntas probetur, cum Cameræ assistat præfata juris regula, quæ de ejus
21 natura transfert onus probationis in alteram partem; Et tamen constat de negativa ex pluribus, quæ simul junctæ ponunt rem in claris. Primò, quoniam ita corrigeretur lex fundamentalis Innocentii Octavi præcipientis, quod in casu suppressionis Collegii, Camera deberet restituere solum acceptos ducatos auri 62000. Juris autem regula certa, & vulgaris est quod legum correctio non est præsumenda, nisi probetur quoties nova lex in aliquo remanet operativa, ac sit omninò fatua, & inutilis dici non valeat. *Legum correctio non est præsumenda, omnisque intellectus capiendus pro exclusione*, Roman. *consil.* 57.*num.*1.*& seq.* Men. *cons* 1070.*num.*87.*&* 88. Altogrd. *cons.*83.*num.*83.*lib.*1. Se-
22 cundò, ob aliam vulgarem regulam, quod novatio non præsumitur, neque danda est, nisi expressè dicatur. *Novatio non præsumitur, l. fin. cap. denotat.* latè Capyc. Latr.
23 *consult.*120.*num.* 39.*& seq.* Rot.*decis.*252.*par.*12.*decis.*264. *num.*3.*par.*17.*rec.*

24 Tertiò, quia id importaret ingentem donationem, sine causa, cum maxima Cameræ læsione; Regula verò juris pariter certa, & vulgaris est, quod donatio non præsumitur, nisi probetur, omnisque intellectus capiendus est ejus exclusione. Tiraquell. *in l. nunquam, verb donatore largitur num.* 206. *& seqq.* Rota verò apud Cavaler. 603. *decis.*41.*num.*2. *& seqq. par.* 9. *Recent.* Idque si procedit in omni privato, qui habet liberam potestatem donandi, & proiiciendi ejus bona, multò magis dicendum est in adeò Sancto Pontifice, quod in illis angustiis, in quibus Camera reperiebatur, ut idem Motus proprius comprobat, hanc adeò exorbitantem, & præjudicialem donationem, sine aliqua causa, facere voluerit.

25 Quartò, quoniam adeò Pontifex circumspectus esse voluit non innovandi, atque non faciendi rem exorbitantem quod in confirmatione adjecit præservativam, dummodo privilegia, quæ confirmantur, non sint contraria decretis Concilii Tridentini, medio tempore superventi; Ideòque multo minus dicendum est, quod hanc adeò exorbitantem, & læsivam innovationem facere voluerit, sine aliqua justa causa, nulloque impellente rationabili motivo.

26 Quintò, quoniam in donationibus, & gratiis Cameræ præjudicialibus, stylus est derogandi aliquibus Constitutionibus, illis præsertim Pauli Secundi super prohibita alienatione bonorum Ecclesiæ, ac etiam derogandi regulæ de jure tertii quæsito non tollendo, & Constitutioni Pii Quarti de regiſtrandis, vel quod solet ista adimpleri cum regiſtratione in Camera, quæ omnia neglecta fuerunt contra rerum verisimilitudinem, signum clarum, quod Papa nunquam ad id cogitavit, ex stylo namque arguit voluntas Papæ, & an facere voluerit actum uno modo, vel altero, Mantic. *decis.*214. Gregor. *& Add. decis.*150. Burat. *& Add.decis.*310.*decis.*25.*par.*10.*recent.cum Concord. in Theatr.lib.*12.*de Benef.disc.*32.*n.*6.*& sæpius*.

27 Et sextò omnium clariùs, quoniam expressè consideravit Pontifex, quod officium primò vacaturum Collegio assignatum, posset vendi multò pluris ultra summam scutorum 5500. & tamen in casu inobservantiæ, vel ineffectuationis noluit obligare Cameram ad totum id, pro quo Officium venditum esset, seu vendi potuisset, sed solum ad restituendum id, quod per ipsum Papam acceptum fuerat in dicta summa scutorum 5500. Ideòque multò minus dicendum est quod obligare voluerit Cameram ad id, quod in decisione firmatur; Istudque est argumentum clarum, & insolubile, quod propterea in decisione sub silentio involvitur, quia respondere non potest.

Et quamvis præsupponatur per aliquos motivari, quod 28
in dicto casu inobservantiæ non solùm demandetur restitutio scutor. 5500. sed etiam damnorum, & interesse, quasi quod veniat etiam augmentum pretii. Attamen istud motivum verè nulla consideratione dignum est dupliciter, quoniam non dicitur de damnis, & interesse simpliciter, & in genere, sed de damnis, & interesse passis, illud enim verbum *passis*, non est referibile, nisi ad damnum passum de proprio, quod attento contextu Motus proprii, verè, & propriè congruit fructibus solutis pro censu imponendo per Collegium pro dicta summa, ut promptè restitui posset Cardinali, aliàs enim fatua fuisset loquutio cum expressione summæ certæ, ut ad sensum. Et secundò, quia in omnem casum, quicumque intellectus his verbis tribuatur, restringitur ad illud unicum officium, & quatenus non effectuaretur assignatio, ideòque ultra non extenditur, cum in stipulationibus strictissima fiat interpretatio, & non detur extensio, juxtà nimis vulgata principia. Vel esset læsio pluſquam enormissima, & omninò intolerabilis, quæ redoleret magnam pœnam, ad quam, licèt stipulatam, 29
fiscus non tenetur, *l. si Procurator. supra ff. de jure fisci*, Paris. *cons.* 101. *num.* 54. *lib.* 1. Mangil. *de evict. p.* 181. *n.* 28. *&* 29.

In omnem casum ista dispositio importaret absque dubio 30
merè gratuitam largitatem, ac donationem, ideòque unum de duobus perneceſse dicendum est, vel scilicet, quod ista futurorum officiorum, eorumque pretii donatio cadat sub regula Cancellariæ 64. revocatoria hujusmodi concessionum, & sub Constitutione revocatoria Pauli V., vel sub altera magis lata, & effrænata Constitutione revocatoria Urbani Octavi; Sive quod invalida dicenda sit ex defectu 31
regiſtrationis in Camera, juxtà Constitutionem Pii IV. cui in Motu proprio non est derogatum, ac etiam ex regula Cancellariæ, *de Jure Tertii quæsito non tollendo*, cui pariter non est derogatum.

Vel quod dicenda veniat donatio merè personalis facta 32
Secretariis illius temporis, à quibus Pontifex gratum officiorum recipiebat; Idque comprobant tres demonstrationes; Prima, quia nisi demus irrationabilem, ac stultam prodigalitatem, donationes non fiunt nisi erga personas gratas, & benemeritas, quales erant illi Secretarii, non autem hodierni post sæculum. Secundò, quia Pontifex
expressè profitetur se induci ad concessionem hujus gratiæ 33
ex motivo gratitudinis, ibi: *Nos è contra promptam Secretariorum voluntatem agnoscentes, eamque gratam, ut par est habentes, meritoque in Domino commendantes*, &c. Et tertio ob illa verba, *singulis Secretariis tunc viventibus*, esset namque ista impropria eloquutio, si de omnibus etiam futuris Papa intelligere voluisset, quoniam sufficiebat dicere *Secretariis* simpliciter, cum perneceſsè præsupponantur viventes, quia mortui non possunt esse Secretarii, sed dicitur, tunc viventibus, hoc est illis secum contrahentibus, qui de tempore suppressionis superviverent, & extarent, considerando istas tres ponderationes simul junctas & unitim.

Motivatum quoque præsupponitur per aliquos ex Do-
minis, vel per alios, quod sufficeret casum esse dubium, 34
ut in dubio respondendum veniat contra Fiscum, ex vulgari dicto Plinii ad Trajanum, quod *sub bono Principe causa Fisci mala est*; Verùm respondetur, quod, ex præmissis, non sumus in dubio, sed in claris pro Camera; Et nihilominus ubi dici posset, quod essemus in dubio, adhuc id de directo adversatur fundamento decisionis, quod res adeò clara sit, ut intret regula *Textus in l. ille, aut ille*, quod est de directo contrarium casui dubio, in quo magis pro uno, quàm pro altero, ratione majoris assistentiæ, & æquitatis responderi debeat.

Et ulteriùs in hoc manifestum adest æquivocum, non
quidem in ipsa propositione, sed in ejus mala applicatio- 35
ne, pro qua dignoscenda, reflectendum est, quod tres habemus in jure Fisci species, quarum prima est odibilis & pœnalis in casu proscriptionum, seu confiscationum, & pœnarum, ac multarum ex causa criminis. Altera est non pœnalis, sed adhuc odiosa, licèt non tanti, quia Fiscus fovet causam lucrativam in exclusionem illorum de sanguine, quæ verificatur in bonis vacantibus morientium ab intestato, nullis relictis conjunctis intrà decimum

gra-

gradum, & tertia est fisci contrahentis, & foventis causam onerosam, & correspectivam, adeòut ad instar cujuslibet privati contendat de damno vitando, & de recta administratione publici ærarii.

36 In primis duabus speciebus adaptari potest assumptum, atque in his terminis propriè loquuntur ejusdem assumpti Auctores, *L. non puto ff. de jure fisci cum concord.* apud Ganaver. *decis. num. 121. & per tot.* Peregr. *de jur. fisci lib. 4. tit. 8. num. 12.* Alfar. *de officio fiscali lib. 16 privil. 26. num. 14. & seqq.* Fajard. *alleg. fiscal. 9. num. 280. & seqq.* nullatenus verò in
37 tertia specie, in qua error prorsus clarus, & manifestus est id asserere, quoniam potius fiscus est magis favorabilis, & privilegiatus quam sint personæ privatæ, dum potitur multis privilegiis, & favoribus collectis per Peregrinum, Alpharum Larream, & alios de fiscali materia tractantes, & præsertim quod gaudet privilegio hypothecæ tacitæ, & altero privilegio potioritatis adversus anteriores, etiam hypothecarios, in bonis postea acquisitis, atque habet æqualem concursum cum dote, aliisque creditoribus privilegiaris, cum aliis plerisque privilegiis, quibus non gaudet fiscus, quando fovet causam lucrativam, juxtà primam, & secundam speciem, undè de facto pro communi usu loquendi Curiæ Romanæ, & aliarum Curiarum, contradistingui solent fiscus, & Camera, ideòque habemus contradistinctos Procuratores fiscalem, & Commissarium Cameræ, atque Advocatus adhibet eamdem contradistinctionem, quoniam se subscribit, & intitulat fisci, & Cameræ Advocatum, quasi quòd primum vocabulum fisci complectatur fiscum pœnalem, & odiosum, alterum verò vocabulum Cameræ complectatur publicum Ærarium, cui merito privilegia, & favores competunt, quoniam respublica, utpotè complexiva pupillorum, infantium, amentium, virginum, viduarum, aliarumque miserabilium personarum, jure pupillorum, aliorumque 38
miserabilium censenda est, atque effectus Reipublicæ dicuntur dos ipsius, quæ fingitur sponsa Principis pro sustinendis publicis oneribus politici matrimonii, ideòque magis privilegiata esse debet, qua fit privata mulier in ejus dote, quando tractat de damno vitando, secus autem quando, de lucro captando, ut in privatis mulieribus statutum est in jure.

Et hæc quoad Pianam dispositionem. Qui verò, ea secluſa dicendum sit, est extra punctum, dum nunc strictè agitur de subsistentia fundamenti decisionis, ideòque ulteri inspectioni id reservandum venit.

L.B.D.L.

Subscriptiones DD. Francisci de Andrea, & Federici Cavalerii Jurisconsultorum Neapolitanorum.

Attentè perpensis verbis Constitutionis Beati Pii, &
39 rationibus adductis per Rotam in sua decisione, nulla regnoscere valuit, fuisse considerarum casum, de quo ad præsens agitur; scilicet fore ut Officia ab iis Secretariis, quibuscum tunc contrahebatur, essent aliis vendenda, ltaut suppressio facienda esset cum novis emptoribus. Idem enim fuit consideratum solum respectu primi Officii vacaturi, quod concedebatur Collegio pro pretio scutorum 5500. quamvis ex illius venditione majus pretium collegium esset accepturum. Et tamen cum etiam in casu, quo successores Pontifices noluissent stare contractui, non ad aliud cameram obligare voluerit Pontifex, quam ad restitutionem eorumdem scutorum 5500 unà cum interesse; Non verò ad pretium, quod ex illius Officii venditione collegium potuisset acquirere. Non video probabilem rationem, cur dicere debeamus Pium, respectu aliorum Officiorum, quorum intuitu nullus inibatur contractus, voluisse obligare cameram, in casum suppressionis, ad reddendum pretium longè majus, quam quod fuisset acceptum. Quin potius Pontificis mentem in clausula de restituendo pretio in casum restitutionis, non aliam fuisse crederem, quam explicandi id, quod de Jure inerat, scilicet ut nisi integrè pretium acceptum fuisset redditum, non possent
40 officia extingui, ac per consequens recedi à venditione. Quæ est omnis obligatio, qua Principes cum contrahunt cum subditis, censeri possunt adstricti; Et qua utinam in aliis Regnis Principes se obligatos profiterentur, juxta *l. digna vox C. de legibus*. Unde scriptis per Illustriss. Dominum, absque ulla hæsitatione subscribendum censui. Neap. die . . Jan. 1680.

Franciscus de Andrea.

41 Validissimum prædictis præstant argumentum, quæ in principio allegationis insinuata sunt, scilicet Sanctiss. Dominum Nostrum Innocentium Undecimum justissimis de causis, publicam utilitatem, & necessitatem concernentibus, Collegium extinguere, & supprimere decrevisse. Nec possessoribus Officiorum gravis injuria, aut læsio restitutione prioris pretii à camera recepti infertur; sciebant enim, & scire debebant hujusmodi Officia in eorum libero commercio ex contractatione non esse. Item, & subjecta suppressioni, & Principis facultati, & dispositioni revocandi concessionem, quo fit, ut ea suppressione res reduceretur ad pristinam causam, quæ aliud non importat, nisi restitutionem illius tantùm pretii à Principe in sua concessione, sive contractu recepti. Item non aliud novum, vel in Jure exorbitans B. Pium in suo Motu proprio in illis verbis circa finem *vers. Volentes, & decernentes*, disponere voluisse ad beneficium Collegiatorum, censendum est, nisi id præcipuum, quod cum restitutio pretii esset facienda à Principe non præcisè, & illicò, sed cum aliquo temperamento, nimirum ut quam primum commodè de suo Ærario satisfacere potuisset, eam facultatem amplissimam sibi, & successoribus abdicavit, ut præcisè, & ante omnia realiter, & cum effectu ante suppressionem, vel in ipsius suppressionis actu pretium illud, ad quod de Jure tenebatur, à camera restitui debuisset, videantur ad rem, quæ latè recensèt R. Galeot. *in eleganti libello de Princip. potest. circa revocationem privil. & concessionum an. 73. & iterum num. 253. cum pluribus seqq.* eò magis, quod suppressio, ut diximus, est facta causativè, & tam rationabiliter; Imò expressa, ac specifica quodammodò facultas suppressionis in Pontificiis Indultis Innocentii Octavi, Alexandri Sixti, & B. Pii reservata videtur. Cætera satis doctè, Jure quidem, & eleganti stylo comprobata existimo.

Federicus Cavalerius.

Subscripsere prædictis alii quindecim, primi nominis, illius Sacri Consilii Advocati, sola subscriptione contenti.

NUM. X.

Votum, seu Responsum Rotæ Florentinæ.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

De eadem materia.

SUMMARIUM.

1 IMpugnatur *prima decisio Rotalis 16. Junii 1679. coram Albergato.*
2 *De intellectu Constitutionis Innocentii Octavi, & B. Pii Quinti.*
3 *Camera non tenetur restituere quod non accepit, sed tantum acceptum.*
4 *Datur exemplum in redemptione census.*
5 *Non debetur nova gabella in casu redemptionis census.*
6 *In casu suppressionis locorum Montium, vel aliorum reddituum publicorum, quale pretium sit restituendum.*
7 *De eodem intellectu, de quo supra n. 2.*
8 *Verbum* restituere *importat solummodo obligationem restituendi acceptum cum seq.*
9 *De eodem verbo, & quando accipiatur pro verbo* solvere.
10 *De differentia inter verbum* restituere, *& aliud* reddere.
11 *Actus tribuitur mandanti, non exequenti, & solum attenditur persona, cujus nomine geritur.*
12 *De eodem verbo* restituere *quid importet.*
13 *Strictior fit interpretatio in privilegiis, quam in contractibus.*
14 *De peculiari intellectu Constitutionis Pianæ, in verbo* eosve.
15 *Facultas resignandi non importat facultatem vendendi.*

Verba

16 *Verba sunt referenda ad eum, cui magis congruunt.*
17 *Verbum restituere potius refertur ad personam, quæ debet restituere, quam ei, cui facienda sit restitutio.*
18 *Dictio* eos, *quando non importat personalitatem.*
19 *Officia haberi dicuntur à Principe, non à resignante. & 22.*
20 *Verba* emisse, & habuisse, *quomodo sint intelligenda.*
21 *Verba generalia restringuntur à subsequentibus.*
22 *Assensus, qui præstatur per Principem resignantibus, non operatur, quod pretium videatur solutum ipsi Principi, & quid importet assensus.*
23 *De eodem, qua supra num. 6.*
24 *Pecunia soluta renunciant à resignatario non dicitur propriè pretium, sed quædam remuneratio.*
25 *In supplicationibus resignationum nulla fit mentio pretii, secus in iis, quæ conceduntur per obitum.*
26 *De differentia inter casum, in quo Princeps contrahat cum Officialibus uti singulis, vel potius uti repræsentantibus corpus.*
27 *Collegium nunquam moritur, licèt moriantur, aut mutentur personæ.*
28 *Quod debetur Collegio non debetur singulis.*
29 *Quid debeatur in casu suppressionis Collegii, quando illud decrevisset.*
30 *Confirmatio non ampliat confirmatum, dat tamen robur, majoremque firmitatem.*
31 *De privilegio fisci non solvendi, nisi cum potest.*
32 *Sufficit, quod verba declarent, ne dicantur elusoria.*
33 *Non præsumitur, quod Princeps voluerit derogare juribus Cameræ.*
34 *Observantia plurimum prævalet in hac materia pretii restituendi in casu suppressionis.*
35 *Pro fisco est in dubio pronunciandum, quando agitur de damno vitando.*
36 *In casu suppressionis ex causa publicæ necessitatis, quid sit restituendum.*
37 *Quod Princeps neque teneatur ad restitutionem pretii.*

1 POnderatis, & maturè discussis rationibus decisionis Sacræ Rotæ Romanæ in Romana pretii Officiorum Venalium 16. Junii 1679. coram R. P. D. Albergato declaratoriæ obligationis Rev. Cameræ Apostolicæ restituendi cuilibet ex dictis olim Secretariis Apostolicis pecunias erogatas pro obtinendo Officio, seu Secretariatu, etiam ultra summas ab eadem Camera, vel Dataria receptas, Quamquam apud Nos maxima sit auctoritas dicti Tribunalis, attamen hac de re, pro veritate Consulti, cum nemo nostrum acquiescere potuerit in obsequium ejusdem voti: pro injuncti muneris executione respondemus: nullum jus, nullamque actionem competere dictis olim Dominis Secretariis, contra Reverendam Cameram Apostolicam, pro restitutione ejus quod immediatè, vel saltem mediatè, non fuit ipsi Cameræ, vel Datariæ solutum.

2 Hoc nobis suadente lectura utriusque Constitutionis Summorum Pontificum Innocentii VIII. & B. Pii V. in quarum neutra cautum est, Reverendam Cameram Apostolicam in casu suppressionis teneri ad restitutionem pretii non recepti.

3 Corruit proindè dictorum olim Secretariorum prætensio nullaque ratio patitur, quod Camera teneatur restituere quod non accepit ad *Text. in Authent. sed quæ C. de Pactis* Vamef. *cons. 4. num. 10. cent. 4.* Rot. *decis. 59. num. 1. p. 16. recent.* Maximè, quia de natura resolutionis hujusmodi contractuum est restituere solum id, quod fuit acceptum ut patet in redemptione census venditi à privata persona, quæ non nisi tenetur ad pretium acceptum à primo
4 emptore, tametsi census majori pretio mox fuerit ab ipso translatus in alterum, à quo redimi debet, latè Salgad. *in Labyrint. credit. p. 1. cap. 27 num. 8.* Cenc. *de Cens. quæst. 108. num. 20. & seqq.* Sin minus resolutio esset novus contractus quod secus est *ad Text. in l. prout quisque ff. de solut.* Lessius *de justitia & jure lib. 2. cap. 2. dubit. 14. num. 115.* Ideòque in locis, ubi viget Statutum Gabellarum, nova
5 non debetur Gabella, Gratian. *discept. 180. num. 10. & 11.* Capan. *de jure Adhoæ quæst. 63. num. 9.* Azzeved. *recopilat. lib. 9 leg. 1. tit. 17. num. 99.* Guttier. *de Gabell. quæst. 10. nu. 23.*

6 Et magis in terminis suppressionis scilicèt locorum Montium, sive redemptionis censuum constitutorum in publicis redditibus, quorum jure regulantur officia, aliæque regalium jurium concessiones ex Leotard. *de Usur. quæst. 22. num. 12.* Larrea *allegat. 23. num. 46. in fin. & alleg. 99. num. 23.* R. P. D. de Luca *de Dot. disc. 148. num. 8.* Quod camera Principis teneatur solum ad pretium acceptum, licèt tractu temporis creverit valor locorum Montium, seu censuum constitutorum in publicis redditibus confirmante de Lug. *de justitia, & jure disp. 25. sect. 11. §. Unio num. 2. circa medium*, Giballin. *de Usur. lib. 4. de var. Præstat. annuis cap. 7. sect. 7. num. fin.* Azor. *Institut. moral. part. 3. lib. 10. cap. 23.*

Et cessat omne dubium in contingenti, attentis dictis 7
Constitutionibus *Innocent. Octavi, & B. Pii Quinti*, siquidem in prima expresè fuit dictum, cameram Apostolicam in casu suppressionis teneri ad restituenda scuta aurea 62400. à Collegio Secretariorum recepta, quibus in terminis cum claram habeamus conventionem, nil ultra debetur, etiamsi resolutio sequatur intra tempus, quo Princeps promisit non revocare, ex plenè deductis per Marcell. Maur. *alleg. 38. num. 9.* Rocc. *de offic. eorumque regim. rubr. 14. §. 7. num. 23.* & pluries decisum refer Reverter. *decis. 4. nu. 5. nu 3.*

Et in altera B. Pontifex declaravit, Collegium supprimi 8
non posse, *nisi prius restitutis Secretariis tunc viventibus integrè, & cum effectu pecuniis, pro quibus eos officia verè, & realiter emisse, aut habuisse constiterit.* Quod quidem verbum *restituere* non nisi obligationem importat restituendi illud idem, quod fuit acceptum *ad Text. in l. restituere 35. & 75. ff. de verb. signif.* Alciat *in l. nemo rem suam ff. de verbor. obglig.* Vinn. *lib. 4. instit. de interdictis §. sequens divisio in fin.* Rebuff. *ad dict. l. 75.* Menoch. *cons. 1155. num. 1.* Surd. *de Alim. tit. 6. quæst. 23. num. 5. & DD. communiter*; Alludente in id ipsa verbi Etymologia, cum *restituere* dicatur quasi *retro statuere*, & rem acceptam reddere Rebuff. *in dict. l. restituere 75.* Nebrissen. *in Lexico verbo restituere.*

Nil relevante, quod cum verbum *restituere* accipi soleat 9
etiam pro *solvere ad Text. in leg. cum quod ff. de legat. 2. l. Hæres meus ff. de legat. 3.* Arguell. *decis. 77. per tot.* hoc in sensu fuerit expressum in Piana constitutione, attentis duobus fundamentis in decisione perpensis, quorum tamen neutrum nobis visum est regulæ efficaciam excludere, vel in minimo alterare substantiam contractus.

Non enim primum elicitum ex mandato B. Pontificis, quod Secretarii tenerentur restituere Cardinali Medico scuta 5500. quæ ab eodem Cardinali nunquam acceperant.

Quoniam ultra quod in casu, de quo quæritur, applicari 10
non posse videntur verba, nec termini decisionis Arguell. tum quia aliquod est discrimen inter verbum *restituere*, & verbum *reddere*, de quo loquitur decisio; hoc enim facilius impropriatur, & accipitur pro *solvere*, quam verbum *restituere*, ut benè declarant Federic. de Senis *cons. 18. nu. 6.* Rodulph. *de Usur. quæst. 6. num. 33.* Tum quia cum nullum præexistat debitum, quæstio non est an potius debeatur species, vel quantitas, ut in causa *decis. Arguell.* (ultra alias facti circumstantias ibidem perpensas) quibus in terminis admittitur impropriatio verbi *restituere*, præsertim si agatur de substituenda aliqua dispositione, vel actu per ea, quæ in specie perpendunt Pangal. *in leg. si quis major ff. de Transact. num. 49.* Aretin. *lib. 4. instit. de Interdict. summa divisio num. 10.* ibidemque Oinotomus *numer. 72.* Sed agitur de inducenda obligatione, & gravanda Reverenda Camera Apostolica ad restituendum quod non accepit, propterea si verba impropriantur, ne sequatur absurdum, ut quis teneatur solvere ultra quod debet Mantic. *de Tacit. lib. 2. tit. 4. num. 81. & tit. 7. num. 17.* multò magis retinere debent propriam significationem, quando, ut hic, quis teneretur restituere, quod non accepit Mantic. *de Tacit. lib. 2. tit 13. nu 1.*

Ex facto penitus eliditur fundamentum, Collegio siqui- 11
dem Secretariorum non nomine proprio fuit injunctum onus restituendi scuta 5500. Cardinali Medico, vice, & nomine Summi Pontificis, qui cum revera teneretur eidem Cardinali ad restituenda dicta scuta 5500. Vel dici non potest expressisse verbum restituere in propria significatione, sed propria, quia actus tribuitur mandanti, non exequenti, solumque attenditur persona, cujus nomine geritur ad *Text. in l. item eorum §. si Decuriones ff. quod cujusque universitatis nomine, & l. fidejussor ff. de legat. 3.* Valensuel. *cons. 155. n. 22. & 27.* Et in individuo, quod verbum *restituere* sumatur in propria significatione, quod actus expletur no- 12
mine ejus, in quem proprie verificaretur verbum *restituere*, affirmat Gloss. *in §. summæ divisio Instit. de Interdictis*, ibi *Potes dicere, quod propriè dicitur hoc verbum restituere, habi-*

to re-

to reſpectiu ad perſonam defuncti , qui res ipſas poſſedit ; Et hæres cenſetur eadem perſona cum perſona defuncti .

Vel quatenus verbum *reſtituere* ibidem fuerit prolatum in impropria ſignificatione , attamen cum B. Pontifex addiderit illa verba *pro Nobis,& nomine noſtro*, potius elicitur Argumentum , quod in omnibus aliis partibus Conſtitutionis , quibus nil addidit , quando expreſſit verbum *reſtituere* , hoc protulerit in propria ſignificatione , vulgata *l. unica §. ſin autem deficientis C. de caduc. tollend.*

13 Porrò quoquo modo dicta verba fuiſſent prolata in prima parte Conſtitutionis , in qua proceditur per viam contractus , non inde inferri poſſet ad alteram , magiſque remotam , in qua proceditur per viam gratiæ , cum materia ſit differens , & ſtrictior fiat interpretatio in privilegiis , quam in contractibus Crot. *in l. omnes populi ſub num.* 131. *ff. de juſtit. & Jur.* Gallia *de verb. ſignific. lib.*8. *cap.* 25. *num.* 18.

14 Non ſubſiſtere viſum eſt alterum , quod cum B. Pontifex ſciret Officia eſſe venalia , & reſignabilia , eorumque pretium poſſe augeri (quippe dedit facultatem Collegio Secretariorum vendendi Secretariatum primò vacaturum pretio reperibili in majori quantitate mox conſiderando caſum ſuppreſſionis ejuſdem Collegii , per illa verba directa ad Secretarios , *Quod Collegium ſupprimi non poſſit , niſi prius reſtitutis Secretariis tunc viventibus pecuniis , pro quibus eos Officia emiſſe , & habuiſſe conſtiterit* , declaraverit , quod Reverenda Camera teneretur ſolvere Secretariis viventibus totum id , quod ab ipſius fuiſſet erogatum pro obtinendo officio , ſin minus dicta verba verificari non poſſent .

15 Siquidem ex ſcientia Beati Pontificis officia impoſterum vacatura poſſe recipere augmentum pretii , quando verè reſpectu Officialium hæc fuiſſent in commercio , atque venalia (quod ſecus eſt,cùm facultas reſignandi non importaret facultatem vendendi , Cabed. *deciſ. 24. numer. 8. libr* 2. Marin. *ad Reverter. deciſ.* 225. *in fin.* Maſtrill. *d: Magiſtr. lib.* 1. *cap.*2. *nu.*57.) potius contraria eliceretur præſumptio , quod B. Pontifex noluerit in generali ſuppreſſione præjudicare juribus Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ , ipſam gravando ad reſtituendum quod non accepit , Rot. *deciſ.*666. *num.*8. *par.*2. *&* *deciſ.* 496. *num.* 6. *&* *deciſ.* 417. *num.* 3. *par.*12. *recent.*

Quod verò attinet ad verba prolata à Pontifice , conſiderando caſum generalis ſuppreſſionis,hæc utique non ſuadent dictum onus fuiſſe injunctum Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ .

16 Tum quia non videntur directa ad Secretarios , ut ſupponit *deciſio*, quippè fuerunt imperſonaliter prolata ibi: *Collegium ſupprimi non poſſit , niſi prius reſtitutis Secretariis &c.* propterea cum reducenda ſint ad certitudinem, & perſonalitatem , juxta ſubjectam materiam , referendaque ſint ad eum , cui magis congruunt ex natura rei geſtæ , Bald. *conſ.* 330. *nu.*2. *verſ. item verba lib.* 3. Rota *deciſ.*414. *nu.*13. *par.*12. *recentior.* tanquam obligatoria , non niſi ad Reverendam Cameram, cui fuit injuncta obligatio reſtitutionis, referri poſſe videntur, Millin. *dec.*256. *nu.*2. Potiſſimum attenta proprietate verbi *reſtituere* , quod potius refertur , ad
17 perſonam reſtituere debentem, quam cui eſt facienda reſtitutio , ut ex *Text. in §. ſumma diviſio , inſtitut. de interdict.* bene declarant ibidem Baldus *nu.*11. Miſinger. *nu.*12. & Arpreſt. *num.* 23.

18 Et ceſſat omne dubium , attentis verbis antecedentibus, *Collegium ſupprimi,vel extingui non poſſit*, quę cum referantur ad Cameram , ſeu Pontificem pro tempore, quo Collegium ſupprimere poterat , ita & per conſequens ſubſequentia *niſi prius reſtitutis* , tanquam onus , quod antea erat implendum à Pontifice ſupprimere volente . Atque expreſſio Secretariorum tunc viventium cum pronomine *eos* , tanquam facta ad denotandas perſonas , quibus facienda erat reſtitutio, prædictis etiam omnibus circumſcriptis, nullatenus perſona litatem important , ex juribus , & fundamentis adductis per Theſaur. *quæſt. ult. num.*7. *lib.*2. Merlin. *dec.* 353. *nu.*21. multoque minus in contingenti altera accedente ratione deſignationis perſonarum , quibus facienda erat reſtitutio , ad denotandam ſcilicet differentiam reſtitutionis ſcutorum 62400. conventæ in Bulla Summi Pontificis , qua attenta , reſtitutio facienda erat Collegio , tanquam unam perſonam repræſentanti , non ſingulis Secretariis .

19 Tum quia, & quatenus re vera dicta verba fuiſſent directa ad Secretarios , attamen ex verbis ſubſequentibus *pro quibus emiſſe* , *aut habuiſſe conſtiterit* , elicitur quod Camera non fuiſſet obligata,niſi ad reſtituendum quod fuit ipſi, vel Dataríæ ſolutum . Siquidem officia, quæ ex jam dictis non ſunt in commercio , ſive obtineantur per vacationem in caſu mortis, ſive per reſignationem, non dicuntur emi , vel haberi à reſignante, ſed à ſolo Principe Gloſſ. *in leg. legatus in verbo abdicare* , ibidemque Bartol. *ff. de offic. præſidis* , Medic. *conſ.*179. *nu.*19. *in fin.* Larrea *alleg.* 119. *de officior. venditione num.*4. Maſtrill. *de magiſtr. lib.*1. *cap.*24. *num.*11. Apont. *deciſ.*28. *num.*17. Roccus *de officiis, eorumque regim. rub.*18. *num.*47.

Atque ex prædictis corruit etiam æquivoca ponderatio 20
verbi *habuiſſe* quod tanquam diſcretivè poſitum ad verbum *emiſſe* , deſignet acquiſitiones officii , etiam à reſignantibus factas .

Vel quia verba *emiſſe* , *& habuiſſe* , fuerunt poſita pro ſynonymis , ut benè ponderavit in facto R. P. D. Camerę Commiſſarius.

Vel quia cum de eo tempore duo officia poſſiderentur titulo oneroſo , & correſpectivo à duobus locis Piis , quibus , cum propriè non conveniret verbum *emiſſe* , fuit expreſſum verbum *habuiſſe* compatibiliter cum aliis verbis Conſtitutionis .

Porrò cum reſpiciant acquiſitionem faciendam à Came- 21
ra,non à reſignantibus, à quibus reſignatarii, ut dictum eſt, Officia non dicuntur habere , ſemper verum erit non eſſe reſtituendum , niſi quod Camera accepit, à qua reſignatarii officia habere dicuntur . Et cùm Sanctiſſimus Dominus Noſter Innocentius Undecimus mandaverit Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ reſtitutionem dictis olim DD. Secretariis , totiuſque pecuniæ ab ipſis , ſeu à reſignantibus) in
19 quorum locum fuerunt ſubrogati) Rev. Cameræ, & Dataríæ ſolutæ , plenè ſatisfactum eſt etiam aliis verbis Pianæ Conſtitutionis *integrè, & ſine diminutione*, utpotè quę quamvis generalia , declarationem , & determinationem recipiunt à verbis *emiſſe ad Text. in leg. ſi uno in princip. ff. de locat.* Alex. *conſ.*40. *nu.*3. *lib.* 4. Ramon. *conſ.* 48. *num.*11. Cyriac. *controv.*62. *num.* 18. Ludovic. *dec.*90. *num.* 14. *& deciſ.*511. *num.*23.

Nec ſubſiſtit replicatio, quod cum officia, etiam per reſi- 22
gnationem habeantur à Principe , ipſi quoque pretium videatur ſolutum,& brevi manu traditum reſignantibus,præſertim attento aſſenſu præſtito reſignationi, qui vim habet novæ conceſſionis uno actu occultato, Rovit. *conſ.*104. *lib.* 2. *num.*11. Lanar. *conſ.*8. *nu.*14.

Licèt etiam reſignatio officii non valeat abſque aſſenſu 23
Principis , à quo Reſignatarii habere dicuntur , attamen aſſenſus importat quidem validitatem actus , quodque in vacatione officii ſit attendenda vita perſonæ,in quam facta eſt reſignatio,in aliis tamen aſſenſus nullum Principi affert præjudicium , ut habemus in reſignationibus locorum Montium, quæ cum ſint de regalibus Principis , nec ſint in commercio,abſque ejus aſſenſu,præſtari tamen ſolutio reſignationem petentibus , per quam efformatur novum jus ad favorem reſignatarii , qui immediatè dicitur habere à Principe, non à reſignante, R.P.D. de Luca *de Regal. diſc.* 29. *num.*6. Rot. *in Rom. locorum Montium , Lunæ* 28. *Junii* 1671. coram R. P. D. Taja; Nihilominus Princeps in ſuppreſſione locorum Montium non tenetur reſignatarius , niſi ad reſtituendum id,quod accepit,tametſi reſignatarius, plus dederit reſignanti ex Azor. Filiucc. Gibal. *de Uſur. de Lug. aliiſque adductis §. Et in terminis.* Nec inter alterutrum caſum aſſignari valet differentia , quod officia vacent ad favorem Principis , ſecus autem loca Montium , quoniam quoad actum reſignationis , de quo quæritur , ne dum ſumus in identitate rationis, ſed etiam caſus,& in terminis locorum Montium vacabilium,ſeu temporalium loquuntur Filiucc. de Leg. Giballin. Azor. *locis citatis* . Et in indivi-
24 duo, quod pecunia ſoluta reſignanti à reſignatario non ſit pretium officii, ſed remuneratio quædam, ſeu adimplementum innominati contractus optimè Ferdinand. de Brancia *inter conſilia diverſ.* Marin. *alleg.*66. *num.*9. & 18. *verſ. quid ergo erit iſta pecunia .*

Et confirmatur , quia in ſupplicationibus reſignationum 25
nulla fit mentio pretii , ſecus autem in illis , quibus petitur officium vacatum per mortem Officialis, ſeu Secretarii .

Poſtremò non obſtat quod inane , & elusorium redderetur privilegium *Beati Pii Quinti* , quod dici non debet Oldrad. *de litteris Principum cap.*11. *nu.*32. ſi Dominis olim Secretariis non eſſet reſtituendum , quod fuit ſolutum reſignantibus, quippè attenta ſola *Conſtitutione Innocentii Octavi* in caſu ſuppreſſionis erat reſtituendum totum id , quod fuit Cameræ ſolutum ex Fagnan. *in cap. Epiſtolæ de Probat. nu.*9. *& ſeqq.*

Vel quia verum non eſt , ſecluſa *Piana Conſtitutione* pre-
26 tium fuiſſe integraliter reſtituendum Secretariis, cum contrariam habemus conventionem , initam cum *Summo Pontifice Innocentio Octavo* , cui quidem conventioni non obſtare videntur deducta per Fagnan. *loco citato* , quoniam quidquid ſit de veritate dictæ Concluſionis, in caſibus,quibus Princeps contrahit cum Officialibus tanquam ſingulis, celebrando quaſi tot de novo contractus , quot ſunt perſonæ , quibus venduntur officia , cum oppoſitum in fortioribus terminis tueatur de Lug. *diſput. 25. ſect.*11. *§. Unica num.*200. utique non procedere videtur , quando , ut hic *Summus Pontifex* contraxit cum Officialibus , tanquam repræſentantibus unum Corpus , ſeu unam Perſonam , cui in actu ſuppreſſionis promiſit reſtituere tantumdem , hoc
27 enim caſu cum aliud ſit Corpus Collegii , quod nunquam uoritur , licèt moriantur , atque mutentur perſonæ Collegii *l. proponebatur , ff. de Judiciis*, Roman. *conſ.*37. *n.*104. Aliud ſinguli de Collegio , Surd. *conſ.*28. *n.*2. *& conſ.*447. *num.*30. R. P. D. de Luca *de cmphyt. diſc.*12. *num.*4. *& diſcur.*77. *n.*7. Rota coram Merlin. *deciſ.*632. *n.*7. Et quod
28 debetur Collegio , non debeatur ſingulis , *l. ſcut. §. ſiquod, ff. quod cujuſque univerſitatis nomine*, Solorzan. *de jur. Ind. lib.*2. *cap.*31. *num.*34. Non tenebatur Reverenda Camera Apoſtolica , niſi ad id , quod acceperat à Collegio , cum quo contractus fuit geſtus, & de revocatione , ſeu ſuppreſſione conventum , reſtituta ſumma ſcutorum 62400. accepta . Velut è contra probabiliter fuiſſet obligata ad reſti-
29 tutionem ejuſdem ſummæ ſcutorum 62400. dicto Collegio , licèt de tempore ſuppreſſionis numerus Officialium in majori parte decreviſſet , ut loquentes in proximis terminis de quodam Monte Neapolitano affirmant Giball. *de uſur. cap.*7. *art.*3. *conſect.*4. de Lug. *diſp.*25. *ſect.*11. *num.* 201. *in fin.*

30 Vel quia etiam ſuppoſita veritate concluſionis Fagnani, quodque verſaremur in terminis , quibus loquitur , contractus ſcilicet celebrati cum ſingularibus perſonis , non inde eluſoria redderentur verba *Pianæ Conſtitutionis*, multa enim operarentur, licèt ſufficeret quid minimum *gloſ. in l.*1. *C. de raptu Virginum* , Caſanatt. *conſ.*4. *num.*276. Primò ſcilicet majorem ſubſiſtentiam Privilegiorum dicti Collegii , licèt enim confirmatio non ampliet confirmatum , dat tamen robur , majoremque auctoritatem confirmat , *gloſ. in cap. quia diverſitatem , verbo forma communi de conſtitutione præbend.* Decian. *conſ.*18. *num.*228. *lib.*1. Solorzan. *de jur. Indiar. lib.*2. *cap.*26. *num.*25. *tom.*2. Rota *deciſ.*58. *num.*1. *part.*6. *recent.* quod etiam expreſsè declaravit *beatus Pontifex* , ibi , *ut quæ ea , quæ per eumdem Innocentium Octavum &c. eo firmius ſubſiſtant , quod ſæpius fuerunt Apoſtolica Auctoritate munita* . Secundò operaretur de-
31 rogationem Privilegio Fiſci non ſolvendi , niſi cum poteſt, ex congeſt. per Capyc. Galeott. *reſponſ. fiſcal.*23. *n.*78. quia ſuit expreſsè declaratum , Collegium ſupprimi non poſſe , niſi reſtitutis prius pecuniis Secretarii . Tertiò demum (omiſſis aliis) pro declaratione hujus Articuli , de quo poterat diſputari , num ſcilicet in caſu ſuppreſſionis reſtituenda eſſent ſola ſcuta 62400. à Collegio Secretariorum accepta , vel potius quod à ſingulis Secretariis fuit ſolutum Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ in Officii acquiſi-
32 tione . Quæ quidem declaratio de per ſe ſufficeret , ne verba Conſtitutionis dicerentur eluſoria , *l. quæ dubitationis , ff. de reg. jur.* Mantic. *de tacit. lib.*6. *tit.*6. *num.*3. Rota *deciſ.*490. *num.*8. *part.*4. *diverſ.* Otthobon. *deciſ.*244. *n.*24. maximè qui attenta dicta declaratione , reſtitutio quæ anteà debebatur ex interpretatione legis fuiſſet debita ex contractu , quæ longè differunt inter ſe .

Atque in hanc ſententiam eo proclivius deſcendimus , 33
attenta *mente B. Pii Quinti* , qui nunquam præſumendum eſt voluiſſe derogare Juribus Cameræ , eam gravando ad reſtituendum id , quod non tenebatur , Crivell. *deciſ.*82. *num.*21. Rot. *d. deciſ.*666. *n.*8. *part.*2. *recent. & deciſ.*414. *n.*3. *part.*12. *recent.* Præſertim nulla facta derogatione *regulæ Cancellariæ de jure quæſito non tollendo* , & pluribus Conſtitutionibus Summorum Pontificum, derogatoriis hujuſmodi donationum .

Ea augetur præſumptio in caſu noſtro , *quo Beatus Pontifex* , nolit Reverendam Cameram teneri reſtituere Secretariis ultra ſummam acceptam ſcut. 5500. ſolutam Cardinali Mediceo, in eventum, quo ſucceſſores Pontificis ratam non habuiſſent dationem in ſolutum Officii primo vacaturi , factam dicto Collegio , atque ideo ſi noluit in dicto caſu particulari Reverendam Cameram ſubire damnum reſtitutionis , ultra dicta ſcuta 5500. multò minus dicendum eſt hoc voluiſſe in caſu generalis ſuppreſſionis totius Collegii ,

Prædictis accedant, quando verſaremur in dubio (quod 34
non credimus) cum obſervantia nedum Galliæ, & Hiſpaniæ , & hujus Civitatis Florentiæ , reſtituendi in ſuppreſſione Officiorum , ſeu locorum Montium ſolum id , quod fuit Principi , ſeu fiſco ſolutum , quæ ſufficeret , cùm ex obſervantia,quæ viget in aliis locis vicinis ad ſimilia judicetur, *cap. ſuper de cenſibus* , Ludovic. *concl.*29. *n.*69. Vveſſembec. *conſ.*95. *n.*23. Miſinger. *conſ.*1. *n.*14. Boer. *deciſ.* 265. Verùm etiam Romæ , cum circumſcriptis paucis caſibus , ex ſpeciali munificentia Summorum Pontificum in ſuppreſſione declarata , ſemper fuerit reſtitutum ſolùm id , quod fuit Cameræ , vel Dataríæ ſolutum , ut probarunt RR. PP. DD. ſcribentes pro dicta Camera Apoſtolica .

Tum favor fiſci,pro quo ſemper in dubio eſt pronuncian- 35
dum , quando , ut hic , agitur de damno vitando , Mattefilan. *ſingular.*15. Raudenſ. de Analog. *caſ.*33. *n.*212. Valenſuel. *conſ.*100. *n.*101. Fontanel. *deciſ.*254. *n.*17. multò- 36
que magis in contingenti, quo cum Sanctiſſimus Dominus Noſter ſuppreſſerit Collegium Secretariorum Apoſtolicorum , per legem univerſalem , ob publicam utilitatem , ſi Rev. Camera teneretur ultra acceptum , nil prodeſſet ſuppreſſio , quippe utilitas compenſaretur cum damno , ut in fortioribus terminis contra donatarios , ſcilicet ex cauſa remunerationis, firmant in ſpecie Regens Conſtantius *lib.* 12. *num.*118. Rochus *de Officiis , eorumque regim. rubr.*10. *de milit. ſtipend. n.*125. imò neque hoc caſu Principem te- 37
neri ad reſtitutionem pretii, quod accipit in venditione officii teſtantur Alex. *conſ.*101. *n.*7. *lib.*1. Valenſuel. *conſ.*99. *num.*35. & 37. *lib.*1. del Bene *de Parlament. dubit.*4. *ſect.*3. *num.*26. *§. reſpectu*, Belluc. *in ſpecul. Principis rub.*46. *n.*3. Afflict. *deciſ.* 361. Aliique latè adducti à RR. PP. DD. pro Reverenda Camera Apoſtolica ſcribentibus .

Et ita concordi voto , ingenuè & pro veritate ſentimus infraſcripti Rotæ Florentinæ Auditores . Salva &c.

Florentiæ 16. Februarii 1680.

Camillus Vinetti Prætor , & Relator .
Joannes Argentius Rotæ Aud.
Joſeph Urceolus Rotæ Aud.
Coſmus Furſettus Rotæ Aud.
Flaminius Palma Rotæ Aud.
Petrus de Angelis Rotæ Aud.

NUM. XI.

Votum , ſeu Reſponſum Rotæ Senenſis.

ROMANA PRETII OFFICIORUM.

ARGUMENTUM.

Confirmatio non alterat ſubſtantiam confirmati; Ut inducatur nova conceſſio , opus eſt verbis individualibus ; Verba generalia non continent inſolita , & incogitata . In ſtipulatione deducta verificantur in veriſimilibus , non autem in iniquis , & injuſtiſſimis . Conceſſio quando , & quomodo reſtringenda .

SUMMARIUM.

1 EX *proœmio apparet in cauſa finali , quæ demonſtrat intentionem concedentis .*
2 *Confirmatio reſtringitur ad privilegia conceſſa , nova autem non induxit .*
3 *Nunquam trahitur extra conceſſa .*
4 *Non alterat ſubſtantiam confirmati , ſed illam tantummodo roborat .*
5 *Quoties verba poſſunt referri ad privilegia conceſſa, non trahuntur ad nova tribuenda .*